



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA AD. EMMANUELEM

TIT. SS. MARCELLINI ET PETRI

S. R. E. PRESB. CARDINALEM

GONGALVES CEREJEIRA,

PATRIARCHAM LISBONENSEM,

QUINQUAGESIMUM A SUSCEPTO SACERDOTIO

ANNUM IMPLENTEM AD MODUM GAVISI* *Dilecte Fili Noster,*

salutem et Apostolicam Benedictionem Admodum gavisi sumus, cum Nobis nuntiatum est mox fore ut tu, Dilecte Fili Noster, quinquagesimum annum a sacerdotio suscepto recolas, una simul cum clero et christifidelibus Lisbonensis Patriarchatus, qui cum tam fausta occurrat praeteriti tui eventus memoria, apertius erga te amoris plena prodent obsequia. Quoniam pulchre novimus animum tuum cum Nostrum cupidum, tum Sedi Apostolicae deditissimum, mentis Nostrae obsecundantes affectui, hasce tibi Litteras mittimus, ut gratulationibus et votis tam decorum diem honoremus atque tuam gregisque tui adaugeamus laetitiam. Adhuc emensum a sacerdotii tui limine hactenus tempus inceptis et meritis floruit. Praesertim vero in Lisbonensi Patriarchatu administrando, fidei studio, consiliorum prudentia, operae sollertia, bonam nactus es famam vigilantis pastoris, qui ad ovium sibi commissarum bonum sollicitudines suas assiduas convertit et eius emolumentum impetrationem suam ducit inter gravia et austera suave sincerumque solacium. In tua eximia laude hoc ponitur, quod praeter alla divini cultus necessitatibus et splendori consuluisti, quod de sacris Seminariis diligentiae plenas curas egisti, ut iis aptae et spatiosae aedes paterent et — cuius quidem rei maxime interest — iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes ibidem in ecclesiasticis disciplinis colendis plenior et perfectior institutionem acciperent; quod denique ad Actionem Catholicam in Lusitania condendam et hortatu tuo fovendam te provide dedisti salutari cum fructu, quem magis magisque et crescere et ampliari optamus. Nec tacere possumus duas inceptions, quae ad recolendum haud parum iucundae sunt: a te in ista urbe capite monumentum Christo Regi dicatum et caerimonias sanctissimas, quibus per te Lusitana Natio Immaculatae Deiparae Virginis Cordi consecrata est. In praesentiarum, cuncta felicia cupientes, tibi ab omnium bonorum Largitore lumen, praesidium, integritatem virium firmitatem suppliciter poscimus, ut, sueta diligentia pastoralis muneri vacans, laeta novalia ad Dei gloriam animorumque salutem comparandam seras et ex iis, quae diuturno labore sevisti, uberiores messes colligas: nam sancte meditari, strenue agere, fortiter poti, bene est vivere; et ab opera recedere, a Spiritu Dei excitata, tarditatis vicia generosa caritas vetat. Quo autem salubrior quinquagesimus sacerdotii natalis contingat, id tibi facultatis facimus, ut, quo volueris die, adstantibus christifidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenaria Indulgentia proposita. Nihil denique Nobis restat nisi ut tibi, Dilecte Fili Noster, sollertibus Antistitibus Auxiliariis tuis, cunctoque gregi moderationi tuae

commisso Apostolicam Benedictionem libenti volentique animo impertiamus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Martii, anno MCMLXI, Pontificatus Nostri tertio.* IOANNES PP.

XXIII

*A.A.S., vol. LIII (1961), n. 4, pp. 220-221.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana